

lium exercitiorum cantari debet missa unica de SSmo, quae habetur circa finem Missalis, non autem festiva Corporis Chr. (nisi infra octavam ejusdem festi) et tempore paschali addendum erit Alleluja, ut fit in aliis missis votivis. Dicitur una tantum oratio cum *Gloria, Credo et Praef. de Nativ.*, quia solet esse publica causa; non autem privatis missis haec conveniunt. Si vero accidit in festo 1. vel 2. cl. sive in dominica privilegiata 1. vel 2. cl., tunc in *Collegiatis* vel duae cantentur missae, una de festo seu dominica post Tertiam, altera votiva de SSmo post Nonam; vel una cantetur de die cum comm. SSmi. n. 2362 ad 7—9 die 13. Febr. 1666.

Ad dubium: Quenam missa debeat celebrari in Dom. palmarum et aliis tribus diebus sequentibus in illis Ecclesiis, ubi fit oratio 40 hh. cum sol. expositione SSmi cum concursu fidelium? S. C. resp.: Servandas esse rubricas, nempe in diebus, in quibus prohibetur fieri de festo dupl., non posse dici missas votivas. n. 3146 die 30. Aug. 1687.

Pius PP. VI.

Alias emanavit a Congregatione VV. FFr. N. S. R. C. Cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis videlicet:

Limana.

Precibus monialium ordinis sancti Francisci Capuccinarum civitatis Limanae in regno Peruano per me infrascriptum secretarium relatis SS. D. N., Pius PP. VI. pontifex maximus benigne annuendo indulget, ut primis diebus septenarii praecedentis festum sancti Joseph sponsi beatissimae Virginis, quod in ecclesia dictarum Monialium celebrari consuevit cum expositione SS. Sacramenti in forma quadraginta

horarum, missa expositionis et repositionis et diei intermediae cantari possit votiva de eodem SS. Sacramento pro re gravi cum commemoratione festi occurrentis, licet festum occurrens sit dominica Quadragesimae vel aliter privilegiatum, contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. Card. Archinto praefectus, Julius M. de Somalia S. R. C. secretarius. Loco † Signi.

Cum autem, sicut dilectae in Christo filiae abbatissa seu priorissa et moniales monasterii praedicti Nobis nuper exponi fecerunt, ipsae decretum hujusmodi, quo firmiter subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communitur summo- ptere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictas exponentes specialibus gratis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinatis, decretum praesertim auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus omnesque et singulos juris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Datum Romae die 19. Jan. 1787. (Bull. r. Contin. tom. VII. p. 690. Ed. Rom. 1843.)

III. In feriis quintis.

Vd.: *Missae de SSmo* (ser. V.).

Eystetten.

In pluribus ecclesiis parochialibus dioecesis nostrae SS. Eucharistiae sacramenti confraternitas erecta reperitur. Ubi hujusmodi confraternitas floret, singulis feriis V. in eodem altari, in

quo expositum publicae fidelium venerationi patet SS. Sacramentum, decantatur missa confluentibus, numero certe non exiguo, fidelibus. Haec porro missa cum cantu exceptis duplicibus 1. cl. et octavis privilegiatis semper celebratur votiva de venerabili Sacramento, scilicet: *Cibavit eos ... cum Gloria, unica orat.: Deus qui nobis., Credo, Praef. Nativ., Ite Missa est in tono dupl.* juxta Dec. S. R. C. dd. 18. Jul. 1851, quia, ut multi sacerdotes dicunt, ex peculiari indulto S. R. C. haec missa votiva in illis parochialibus ecclesiis, in quibus dicta confraternitas floret, omnibus feriis V. concessa est. Quum vero quidam parochi arbitrentur, missam, licet cantetur, de Venerabili non semper singulis feriis V. esse sumendam, praesertim quia nunquam peculiare indultum in nostra dioecesi inveniri potuit; hinc

Quaeritur 1.: *An liceat in singulis feriis quintis, exposito SS. Sacramento, missam cantatam de Venerabili sumi, etiamsi dictis feriis saepissime occurrat festum duplicis vel minoris vel majoris vel secundae classis et quidem in eo ritu supra enunciato?*

Quaeritur 2.: *An, si affirmative ad primum, liceat in minoribus ecclesiis parochialibus, ubi quotidie parochus solus celebrat, eandem missam decantare?*

Quaeritur 3.: *An, si negative, liceat in majoribus ecclesiis parochialibus, in quibus quotidie plures sacerdotes celebrant, missam de Venerabili cantare, persoluta missa occurrente de die?*

Quaeritur 4.: *Quando autem parochus missam de festo occurrente sumere debet, quaeritur: an oratio de Venerabili cum oratione festi decantanda sit sub unica vel distincta conclusione?*

Decreta authentica. Tom. II.

S. R. C. resp.: Permitti posse consuetudinem, servata tamen forma instructionis sa. me. Clementis PP. VIII.

Et ad 1.: negative, sed addendam esse commemorationem SS. Sacramenti;

ad 2. et 3.: jam provisum in praecedentibus;

ad 4.: sub distincta conclusione.

Romae 25. Sept. 1852.

r) De Sanctis.

I. Dies impeditus.

Vd.: *Transl. festi in dom. seq.; Missae* (duae non sunt cant. etc.); *Indulgentia altar. privit.; Titularis* (fest. celebr.; decr. n. 2362).

In omnibus conventibus Regul. Minor. de observ. s. Francisci Provinciae maj. Poloniae erectae sunt Archiconfraternit. s. Annae et ss. Francisci et Antonii et aliorum Sanctorum; quaeritur: an missae vot. simplices de hujusmodi Sanctis cantari possint in festo dupl. minori et majori, sed non de praecepto, seu festivo, ad quas populus concurrat et cantari procurat ex antiqua consuetudine? S. C. resp.: Negative. n. 4244 ad 1 die 11. Maii 1754.

Ad dubium: An Sacerdos, qui a Fidelibus eleemosynam accipit ad celebrandam Missam in hon. alicujus Sancti vel de aliquo Mysterio, dum ritus non permittit celebrationem Missae votivae, possit saltem Missae occurrenti commemorationem addere Sancti ipsius vel Mysterii?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Non licere.“

Atque ita rescripsit propositaque Dubia rata est declarare. n. 5146 ad 3 die 7. Sept. 1850.

II. Formula.

Cf.: *Missale roman.; Novena; Anniversarium sol. vot. ex fundat.*

Capellani Monialium possunt cele-

rebatur, erat circa tempus canendi Missam solemnem de Sacramento, cui Processio succedit.

Ad primum quod attinet, abusus dixi et merito quidem morem illum Vicensis Ecclesiae celebrandi Conventualem Missam, dum persolvuntur Horae canonicae. Actiones enim sunt, quae successivae esse debent, nec licet easdem ita simul componere, ut, quae diversae sunt et certo quodam ordine peragi debent, quodammodo compentrentur. Ne iterum repetam, quae jam alias hac de re notata habentur ad Decretum in una Nullius Provinciae Compostellanae ad Dubium V., videri possunt rationum momenta, quae ibi adducta sunt.

Ad alterum ut progrediar, cum Missa solemnis votiva de SSmo Sacramento nullam habeat relationem ad Officium et Missam de Dominica aut de Festo occurrente, non nisi post Nonam canenda est. Ita disponit Rubrica *part. 1. tit. de hora celebrandi Missam n. 5.* ubi legitur: *Missae votivae, quia non correspondent Officio, si solemniter celebrentur pro re gravi vel publica Ecclesiae causa cum populi frequentia, dicantur pot Nonam.* Ibi Gavantus: *Duplicem habes causam; discordantiam ab Officio et frequentiam populi; qui dum tardiori Missae interest, quasi suo jejunio Orationi publicae vires addit.* Perperam igitur anno 1804 vel 1806 antiquus mos (nescio quorum consilio) perturbatus fuit et ordo confusus: nam Missa votiva solemnis de SSmo Sacramento cantari coepit, dum simul in Choro persolvebatur cantus horarum Tertiae et Sextae: deinde vero succedebat Conventualis de Dominica aut Festo occurrente cum Processione. Oh quot in hisce innovationibus reprobandi damnandique abusus praescriptus ordo pervertitur; incongruus locus datur Missae votivae solemni; eodem tempore simul persol-

vuntur Horae canonicae, quae praemitti debent Missae Conventuali postmodum canendae de Dominica aut Festo occurrente, quae proinde celebratur non post Tertiam, ut Rubrica jubet, sed post Sextam. Erat igitur debitus revocandus ordo; quamobrem S. R. C. nedum antiquum laudabilem morem arbitrarie inversum restituit, verum etiam praefatos abusus removit, mandans, ut post Tertiam celebraretur Missa conventualis de die, absolutis vero reliquis horis Sexta et Nona, altera solemnis cantetur votiva de SSmo Sacramento. Cum vero ritus diei sit primae classis, qui impedit Missae votivae celebrationem, quae Expositionem et Processionem cum SSmo Sacramento non impedit, eadem conventualis Missa celebrari posse post Nonam videtur, ut Processio Missam immediate sequatur.

IV. Infra expos. SSmi.

Vd.: *Instructio Clem. §. XIII. 1. etc.*

V. Infra octav. Nativit. Dom.

Vd.: *Praefatio in missis vot. (decr. n. 3754.)*

VI. Orationes.

Vd.: *Orationes (in missis sol.).*

Difficultas locum habet, quando celebrari conceditur aut unica missa cantata aut etiam omnes missae alicujus festi, de quo in hoc die non fit Officium. His in casibus conceditur missa cantata vel ut *in die festo vel vot. sol.*, quandoque instar *votivae pro re gravi*; et additur aliquando, ut non omittatur missa conv., simulque, ut fiat com. dominicae aut festi occurr. Porro missa conv. non canitur in omnibus ecclesiis; quoad vero commemorationes certe haec debent fieri in omni missa privata etsi votiva; sed de missa cantata oritur dubium: quippe

cum Rubrica in missa vot. cantata unicam praescribat orationem, et absque ullo dubio, altera oratio omittitur, si celebrata fuerit conv. *de die.* Verum in iis Ecclesiis, in quibus non dicitur conv. *de die*, etsi rubrica de hoc casu taceat, videtur recta opinio Merati et aliorum, qui docent facien- das esse commemorationes.

Unde in illis Ecclesiis, in quibus non tenentur ad missam conv., addendum foret: *Non omissa conv. de die, ac commemorationibus officii de die aliisque occurrentibus, in miss. priv. tant. juxta rubr.*

Si vero agatur de Ecclesia, quae non obligatur ad conv. cantandam, poterit sic dici: *Cum commemorationibus officii de die aliisque occurrentibus, juxta rubricas, in missis priv., atque etiam in missa cum cantu, si celebrata non fuerit conv. de die.*

S. C. mandavit servari exposita in suprascripto supplici libello a Secretario distributo.

Die 18. Febr. 1794.

Coppola, Secr.

t) De Spiritu s.

I. Dies.

Cf.: *Missa vot. pro re gravi (dies; decr. n. 4361; 5183); Missae tres novi Presbyteri Bened. Monial. (missa); Orationes (in miss. sol.).*

Episcopus non potest missam vot. celebrare de Sp. s. vel aliam pro eligenda Abbatissa Conventus suae Jurisdictionis, licet ipsa dies sit dupl. vel dominica. n. 3786 ad 6 die 28. Apr. 1708.

Durante Concilio (Synodo) decens est, ut singulis quintis feriis in Ecclesia Cathedr. cantetur Missa sol. de Spir. s., ut in Conc. Trid. sess. 2. sancitum fuit. *Caer. Ep. l. I. c. XXXI. n. 17.*

Cantabitur missa (in die inchoat. Concilii) de s. Spir. solemniter per Archiep., qui in ea utitur pallium; vel eo impedito ab antiquiore ejusdem Provinciae Episcopo, et si festum erit dupl. vel Dominica, sine commem. illorum et sine Evangelio Dominicae in fine. *Ibid. n. 13.*

II. Oratio.

Vd.: *Bened. Monial. (Missa); Orationes (in miss. sol.).*

„In missis vot. de Sp. s. 2. or. debet esse illa, de qua factum est Officium, 3. *A cunctis* et non *Concede*, ut aliqui putant, vel alia, quae in missa conv. esset secunda. Quod si addenda sit quinta, servetur rubr. de orationibus in simplicibus.“

Sic C. S. declaravit in regulis (quae sunt generales) ad Missale Fratr. Minor. subjectis. n. 2362 ad 4 die 13. Febr. 1666.

u) Pro Sponsis.

I. Conclusio.

Commemoratio missae pro Sponsis dicenda in missis de dupl. 1. et 2. cl. dici non debet sub unica conclusione cum oratione festi, sed sub altera conclusione. n. 4587 ad 6 die 20. Apr. 1722.

Ad dubium: an talis Commemoratio (pro Sponsis) pariter dici debeat vel sub altera conclusione, prout solet de aliis commemorationibus occurrentibus in diebus Dominicis et festis de praeecepto? S. C. resp.: *Ut in antecedenti. Ibid. ad 7.*

Ad dubium: Quo loco, quando aliae occurrunt commemorationes, ut in proximo quaesito, commemoratio Missae pro sponso et sponsa dicenda sit sub secunda conclusione, an scilicet ultimo loco?

Et S. R. C. ... respondendum censuit ut infra, videlicet:

brare missam de Sancto, de quo Moniales recitant Officium, sed cum Missali rom. de *communi*, si intra missale rom. non est de eo missa propria. n. 2363 ad 5 die 13. Febr. 1666.

Ad dubium: Possuntne adimpleri quaelibet foundationes sive in hon. SSrum sive pro defunctorum liberatione missam de die celebrando? S. C. resp.: Affirmative, dummodo missa SSrum pro adimplimento foundationis celebranda seu etiam defunctorum ab occurrente 1. vel 2. cl. solemnitate aut festivo die quoad forum non impediatur. n. 4119 ad 6 die 2. Sept. 1741.

Vd.: *Anniversar.*, (alia missa etc. decr. n. 4237.)

III. Gloria, Credo.

Cf.: *Novena; Credo in Missa; Indulgentia altaris privil.* (decr. n. 4669); *Missa* (duae non sunt etc.).

Ne quid in posterum contra vel praeter rubricas sub poenis in constitutionibus Pontificiis contentis servari ab Ordinariis permittatur, sed tantummodo die tituli quorumlibet Ecclesiae vel Oratorii de Sancto titulari Missae cum Gloria et Credo celebrentur. n. 1839 die 4. Aug. 1657. Vd.: *S. Thomas*.

Ad dubium: an in festo s. Antonii de Padua, quod in Ecclesia s. Joan. Bapt., in qua sub ejusdem s. Antonii invocatione altare erectum reperitur, magna cum devotione et concursu celebratur, Missa cum *Gloria et Credo* decantari possit, S. C. resp.: *Affirmative, ratione concursus*. n. 2788 die 1. Apr. 1662.

Quodsi corpus habeatur integrum, aut illius magna pars, a fortiori Symbolum in missa recitari debet. n. 2363 ad 16 die 13. Febr. 1666.

Cum cantatur missa votiva pro re gravi de aliquo Sancto, semper dici debet *Gloria et Credo* et uti colore,

quo utuntur in festo, cujus missa cantatur. n. 2417 ad 3 die 13. Aug. 1667.

In diebus Dominicis non possunt dici duae Missae de festo simplici in ea occurrente, sed de eo fieri tantum commemor. in missis Dominicis. *Ratione tamen confluentiae* potest in eodem festo simplici cantari missa sol. vot. cum *Gloria et Credo*, sine tamen Evangelio et commemor. Dominicis, dummodo tamen alia conventualis de Dominica non omittatur, in qua in tali casu non fit commemor. festi simpl. Similiter in feriis quadragesimae, quod Missae de festo simplici occurrenti non possunt dici nisi votivae et tunc privatae in gratiam festivitatis currentis erunt cum *Gloria* et commemor. feriae, de qua tamen in fine non est legendum Evangelium, sed Evangelium s. Joannis, quod semper est legendum in missis votivis; in feriis praedictis ratione concursus poterit etiam cantari de eodem festo simpl. missa sol., quae similiter erit votiva et in ea ob solemnitatem dici etiam *Credo*, sine tamen Evangelio et commemor. feriae, de qua cantanda erit alia missa conventualis sine comm. festi simpl. In missis vero de feria est facienda comm. festi simpl. occurrentis. n. 2542 ad 2 die 13. Junii 1671.

Ad dubium: an qui recitat Officium B. V. M. volens celebrare missam de aliquo Sancto, teneatur dicere *Gloria* etc. et Praefationem B. V. propriam illius diei, an vero Praefationem comm. sine *Gloria*? S. C. resp.: Dicendum sine *Gloria* etc. et cum Praef. communi. n. 3073 ad 8 die 2. Decb. 1684.

Assisien.

Patriarchalis Ecclesia, in qua corpus S. Francisci Conf. Assisii requiescit, ex Indulto Apostolico Sacratissimi Principis Pii VII. P. M. privilegio gaudet Missae votivae quotidianae de eodem

Sancto, exceptis dumtaxat Solemnitatibus Natalis D. N. J. C. et Paschatis Resurrectionis et Pentecostes. Porro ex hac concessione sequentia excitata sunt Dubia, quae in supplici Libello S. R. C. resolvenda proposita fuerunt:

An diebus Dominicis in praefata Missa votiva Symbolum dici debeat?

Et Emmi ac Rmni P. S. eidem C. praepositi ... respondendum censuerunt: *Juxta votum*, videlicet,

„Juxta alias resoluta Negative.“

Et ita responderunt. n. 4560 ad 1 die 15. Maii 1819.

NOTA GARD. AD HOC DECRETUM.

Etsi ex Rubricarum praescripto in singulis diebus Dominicis, vel fiat Officium de Dominica, sive de Sanctis, Missa carere Symbolo nunquam debeat: haec tamen regula suas habet limitationes, nec Symbolum admittunt Missae votivae privatae, si quae in die Dominico celebrentur. Equidem si spectetur Rubrica, nequeunt in die Dominico Missae votivae celebrari, nisi solennes sint, et pro publico Ecclesiae bono, in quibus dicitur *Credo* et etiam *Hymnus Angelicus*, quatenus Missae qualitati convenient; quod adeo verum est, ut S. R. C., quamvis indulserit Missam Votivam pro Sponso et Sponsa, etiam occurrente Festo ritus dupl., quod non sit I. vel II. cl., exceptit tamen dies Dominicos vel alios de praecepto servandos, eo, quia Missa votiva pro Sponso et Sponsa non est pro re gravi publicoque Ecclesiae bono, sed privata adnumeratur. Verumtamen quod dispositione Juris non admittitur, quandoque fit ex privilegio. Ita accidit in Basilica Lauretana, ubi Missae omnes, quae in Sacello Almae Domus celebrantur, quibusdam dumtaxat solemnioribus exceptis diebus, votivae semper sunt de *S. Maria*. Ita etiam in Patriarchali Ecclesia Assisiensi votivam

de S. Francisco quotidie celebrari speciali Privilegio concessum est. Ac tandem S. C. Concilii indulget Sacerdotibus visus tenuitate laborantibus, ut, quam memoriter tenent vel sine multa difficultate legere possunt, Missam Votivam B. M. V., etiam in diebus Dominicis ac solemnioribus festivitibus valeant celebrare. Hujusmodi autem Missae votivae, quae ex Apostolico indulto leguntur in diebus Dominicis, nequeunt habere *Symbolum*. Possem id comprobare auctoritate Scriptorum de re liturgica, ac praesertim *Merati ad Gavantum part. 1. tit. 4. sect. IX. n. 46. et Guyeti in Hortologio lib. 4. cap. 21. n. 13*. Sed quid juvat privatas Auctorum sententias perquirere et afferre, dum S. R. C. Decreta omnes dirimunt controversias? Quoad Almam Domum Lauretanam ad Dubium: *Quando celebrantur Missae Votivae de B. V. in praenarratis festivis diebus* (videlicet in Dominicis nec non in festis Apostolorum, ac aliis duplicibus) *ac etiam infra Octavas, an ratione praedictarum Festivitatum in eis Credo recitari debeat?* sub die 23. Jan. 1674 resp. fuit: *Negative nisi in illis missis vot. tantum, quae sol. pro re gravi et publica Ecclesiae causa celebrentur*; et quoad Sacerdotes caecutientes ad quaesitum: *an semper (Sacerdos ex Indulto celebrans missam B. V. M.) in dominicis dicere debeat Credo?* sub die 12. Nov. 1806 declaratum fuit: *etiam in Dominicis omittendum Symbolum*: Si rationem quaeras, cur omittendum sit, facile est eam reperire: quia nempe hujusmodi Missae votivae ex indulto celebrandae nihil habere debent commune cum Missa et Officio Dominicis. Eademque de causa non dicitur Symbolum in *Missa Lytaniarum majorum*, etiamsi Festum *S. Marci* occurrat in *Dominica in Albis*. Rogata namque S. R. C. in Mutinen. die 25. Sept. 1688: *an in Missa Rogationum in Festo*

S. Marci incidente in Dominicam in Albis dicendum esset Credo? respondit: *Negative*, rationemque addidit, scilicet: *Non est dicendum Credo, quia est Missa Ferialis*, et confirmatum id ipsum fuit die 25. Sept. 1706. Nam, occasione impressionis novi Missalis, inter alia petatum fuit: utrum in *Rubrica tit. 11. de Symbolo addendum sit: illud dici non debere in Missa de Rogationibus in die S. Marci, quando Festum cadit in Dominica?* Cui quaesito respondens S. C. jussit:

Imprimatur in principio Missalis cum aliis Decretis illud emanatum sub die 25. Sept. 1688 in una Mutinen. Si igitur in Missa Rogationum dici nequit Symbolum, quia Missa Ferialis est, ita etiam omittendum erit in Missa Votiva privata, quae, licet vigore Privilegii legatur in Dominica, non desinit esse Votiva. Jure igitur S. C. proposito dubio respondit: *juxta alias resoluta: negative.*

IV. Per festivitatem alicuj. Sancti.

Cum, sicut dilectae in Christo filiae abbatissa seu priorissa et moniales monasterii monialium sancti Jacobi apostoli oppidi Matreti Toletanae dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsae festum ejusdem sancti Jacobi apostoli, ab ipsius festo die ad diem tertiam Augusti continuare consueverint; quo autem ejusdem sancti cultus et Christifidelium devotio erga eum audageatur, unam missam solemnem de eodem Sancto quolibet ex diebus hujusmodi in propria celebrari facere posse sumopere cupiant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur:

Nos igitur dictas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes hujusmodi supplicationibus in-

clinati: modernis et pro temporibus existentibus priorissae et monialibus monasterii praedicti, ut in posterum in propria ecclesia singulis diebus, quibus in ea festum praedicti sancti Jacobi apostoli continuatur, ut praefertur, nempe a die vicesima quinta Julii ad diem tertiam Augusti, unam missam solemnem tantum de eodem Sancto, licet occurrat officium ritus duplicis, non omitta tamen missa conventuali, quae et reliquae omnes debeant celebrari de sancto occurrente, celebrari facere libere et licite possint ac valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 6. Decb. 1791.
(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 96.)

V. De Sanctis in martyrol. non expressis.

Vd.: *Reliquiae insignes* (missa).

VI. Mutatio.

Pro missa *votiva* s. Casimiri, si habeatur propria, mutanda sunt verba „natalitia vel festivitatis in aliis congruentibus votivae, scilicet: commemoratio aut memoria.“ n. 4237 ad 5 die 22. Decb. 1753.

VII. Obligatio.

Vd.: *Missa de Req. privata* (oblig. decr. n. 4897).

VIII. Plures in una die.

In diebus semid. juxta alias decreta non possunt cum cantu celebrari duae missae votivae de eodem Sancto. n. 5103 ad 18 die 11. Sept. 1847.

Cf.: *Missa festi translata.*

s) Solemnis.

I. In Cathedrali.

Vd.: *Bened. Monial.* (Missa.)

II. Gloria, Credo.

Vd.: *Credo; Gloria; Missa vot. pro re gravi.*

Hymnus angelicus Symbolumque non dicuntur in votiva solemni, in qua param. violacea adhibentur. Die 13. Feb. 1666.

Ad dubium I.: An in missa vot., quae celebratur ob particul. devotionem alicujus privatae personae et canitur cum altaris apparatu et magna musicorum conventu, dici debent Gloria et Credo?

II. An in missa festiva, quae ex rubrica solum habet Gloria, si canitur, prout supra, debeat dici Symbolum?

S. C. resp.: *Negative*, nisi sit pro re gravi vel pro publica Ecclesiae causa juxta rubricas missalis rom. Die 2. Sept. 1690.

III. Hora.

Vicen.

Ex laudabili consuetudine duorum Saeculorum metam excedente mos obtinuerat in Cathedrali Vicen. Missam solemnem cum cantu de SSmo Sacramento singulis mensibus Dominica tertia celebrandi ante Processionem ejusdem juxta privilegium Confraternitatis ibi erectae sub hac appellatione, quum de anno 1804 in rerum omnium subversione nonnullis novitatum studiosis visum est temere morem antiquissimum perturbare Missamque hanc, durante cantu Horarum Tertiae et Sextae, celebrare, alteramque dein cantare de Festo vel de tempore, quin per conditionem temporum miserrimam liceret Capitulo et Canonicis adversus novitatem hujusmodi suas producere querelas. Rebus tandem, favente Deo, compositis Sacerdos Joseph Sendil Caeremoniarum Magister Ecclesiae recensitae nomine Capituli et Canonicorum Sacrorum Rituum Congregationem supplex adiit

pro immemorabilis consuetudinis reintegratione.

Et Sacra eadem Congregatio, actionis unitati intendens et laudabilibus servandis consuetudinibus Ecclesiarum, ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Naro Ponentis, sub die 25. Martii 1825 in Ordinario Eminentissimorum et Reverendissimorum PP. Coetu censuit rescribendum: „Pro gratia juxta modum ab Emo Ponente declarandum: *Est autem modus*, quod post Tertiam celebretur Missa Conventualis de die; absoluta autem Nona, altera cantetur Votiva de SSmo Sacramento, nisi occurrat Dominica vel Festum primae classis: quo casu in Missa Conventuali de die fieri poterit Commemoratio SSmi Sacramenti.“

Facta autem de praemissis omnibus et singulis SSmo Domino Leoni XII. Pontifici Maximo relatione per Secretarium infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Eadem Sanctitas Sua Sacrae Congregationis rescriptum approbavit et confirmavit atque ita in posterum in Cathedrali Vicen. servari mandavit.

N. 4617 die 8. dicti Mensis et Anni 1825.

NOTA AL. GARDELLINI AD HOC DECRET.:

Duo sunt, quae notanda occurrunt ad hujus Decreti illustrationem. Primum versatur circa abusum celebrandi Missam Conventualem simul ac in Choro aliqua ex Horis canonicis cum cantu persolvitur. Id fieri solet in Cathedrali Ecclesia Vicensi, in qua, ut in facti expositione legitur, singulis tertiis Dominicis cujuslibet mensis usque ab anno 1584 Missam votivam solemnem de SSmo Sacramento celebrari consuevit post Missam conventualem celebratam, durante cantu Horarum canonicarum Tertiae et Sextae. Alterum vero, quod in proposita instantia quae-